

CREDO CALVINI-SEQVARVM

MONASTERII IN CELEBRI GYMNASIO PAVLINO SOCIETATIS IESV IN GRATIAM CALVINISTARVM TERTIO DISPVTATVM.

IN QVO CALVINI DE PRIMARIIS FIDEI CHRISTIANÆ CAPItibus partim manifesta, partim manifestis rationibus ex eius scriptis deducta dogmata execranda proponuntur.

Accessit hac postrema editione CONFVTATIO VVorstianæ responsionis ad præfatiunculam, conscripta à Bernardo Dörhoff SS. Theol. Baccal.





Ex Legato Ill.mi Coccini Bibl. Secr. Coll. Rom. Soc. Iesu

MONAST. VVESTPHAL.
Typis Lamberti Raßfeldt.
ANNO M. DC VII.

D. O. M.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. PHILIPPO de Croy Comiti de Solre Marchioni de RentI equiti aurei velleris. Regiæ Maiestatis, & Archiducis Alberti in rebus Status & Belli Consiliario, & prouinciarum ac ciuitatũ Tornacensis & Tornesis &c. Gubernatori &c. Domino nostro clementissimo.

Annare & perannare.

Tres primos Caluinisequarum fidei articulos, PRINCEPS ILLme, &c. *offero xenium. quàm Excellenti pietate tua indignum; tam nulli alteri, quàm Illustmæ humanitati & generosæ sapientiæ debitum. Vt singularis & eximia pietas infandis Caluini, sequaciumq; eius atheismis interturbaretur, omnino videbatur indignum; vt tamen incredibili humanitati, cum in alios, tũ in Scholas nostras, quas illustri præsentia tua nuper collustræsti, aliquod memoris animi reponeretur indicium, apparebat debitum. Nec aliud simul occurrebat aptius, pro ea, quâ cœlitus in Catholica & Romana religione illustratus es sapientia; quàm* CREDO CALVINIANVM. *vt quos hostes felicibus armis persequeris; eosdem Catholicis in Scholis iugulatos suiipsorum gladijs, nefandisq; blasphemijs intuearis. adeoq; agnoscas, allatâ in Indias religione Romana, numen Calecutanum, siue Diabolum inde pulsum, Deum in Europa factum Caluinianum. Vale* PRINCEPS ILLme *& chartaceam hanc strenam boni consule. Dat. Monast. VVestph. Kal. Iun. An. 1607.*

PRÆFATIO AD LECTOREM ET BREVES AD SPARSA MENDA-cia Vindiciæ.



IAM quartùm in gratiam tui, Lector beneuolè, recuduntur hi tres primi Credo Caluinisequarum articuli, idq; nunc per modum libelli, vt hoc facilius eos circumferre, & quoties libuerit voluere ac reuoluere possis. Neque enim laborandum est magnopere de nonnullis verbi Ministris, qui plenis eos mendaciorum calumniarumque plaustris obterere, simulque Iesuitas tanquam horum parentes omnium criminum reos traducere per ora vulgi, connituntur: imitantur in hoc illum, qui rogatus cur omnibus malediceret, quia, inquit, malè facere ijs non possum. Oportebat à diuersis vocatos inuitatosque ad disputationem, semel iterumque eorum gratia resumptam aduolasse, & coram in arena Scholastica syllogistico è scripturis sacris apparatu decertasse. Sed quia malè se facere Iesuitis disputando non posse videbant, ijs maledicere Prædicanticè, id est, impotentissimè impudentissimeque non cessant. An enim impudens non est conuitium à Iesuitis orthodoxos Christi fideles ad mortem raptari? ab ijs omnes dissentientes etiam principes aperta vi infestari? per eos Galliæ

An-

Angliæque reges ad cædem designari? Præ innato sibi stupore vecordiaque soli necdum intelligunt Prædicantes, quod tota Europa iam lippis & tonsoribus est notissimum, nunquam magis, quàm hoc ipso tempore Iesuitas in Gallijs aut floruisse, aut suæ innocentiæ luculentius maiúsue testimonium accepisse. Neque enim tantum infamis illa & mendax pyramis. Caluinistarum opera studioque Parisijs erecta & inscripta, penitus est euersa, sed & Collegia ex quibus Hugonottorum artibus fuerant exturbati, sunt reddita, & (quę Dei super innocentes benedictio est) noua insuper, regiâ planè munificentia, cõdita; idque ab illo ipso Rege Christianissimo, in cuius eos caput mentiuntur coniurasse. Non potest Societas IESV vno aliquo verbo in Europa magis deprædicari, quam Regis regnique Galliæ commemoratione, & ab hac illi, amentes odio, verbi Ministri eam sperant se posse calumniari? Sed nec Angliæ mentio aliud innuit, quam palæstram inter alios etiam Societatis hominibus datam, ad zelum in religione Catholica promouenda ostendendum, ad constantiam in ea ad extremum vsque vitæ tuenda declarandam, ad innocentiam à conspirationibus in magistratus supremos conseruandam. Ecquid enim? Illi ipsi coniurati clam, palam; extra & inter quæstiones suppliciaque grauissima tantum abest

vt Iesuitas aliquid machinatos in regem dixerint, vt etiam se timuisse ne si coniurationem rescis cerent, impedirent, asseuerârint. Nihil de Iesuitarum conspiratione liber Anglicè & in ipsa Anglia publicatus coniurationis historiam supplicijque describens, nihil de eorum consilijs libellus ex Anglico sermone in Latinum translatus, & Londini excusus, cuius inscriptio Series detectæ nuper coniurationis, Nihil illi insertæ confessiones Thomæ VVinteri & Fauckij, nihil denique ipsius regis Britanniæ oratio habita 9. Nouembr. in ordinum conuentu, de Iesuitarum molitionibus proditionibusque commeminit. Purgant Iesuitas coniurati, ex quibus solis, si quid suggesserant consilij, cognosci poterat. non accusant eos coniurationis historiæ in Anglia de tota conspiratione scriptæ, ne leuissimam quidem de ijs Rex suspicionem mouet: & adhuc amplius quid pro innocentia Iesuitarum contra Caluinianos in VVestphalia Corybantas desideremus? non est huius instituti multis hæc prosequi, illud tamen præterire non possum; Elizabetham Angliæ Reginam ANNO 1584. VVilhelmum Critonum è Societate IESV sacerdotem coniecisse in Londinensem carcerem Sed vbi ex confessione alterius cuiusdam Rei nomine Parrij didicisset Critonum ipsi scelus in

Regi-

Reginam meditatum dissuasisse, idemque ex Epistola Critoni hac ipsa de re scripta 10. Kalendas Martias perspexisset, & Critonum vt innocentem eximiè carcere, & literas eius typis exprimi spargique per regnum iussit, Iesuitas inquiens audire vulgo malè, sed velle & facere regibus bene, nec insidiari sed patrocinari sibi & summatū capitibus ac fortunis. Non addam dictis artes Caluinisticas in optimis Galliarum regibus diuexandis, non intentatam illi ipsi Britanniæ Regi (quem ijs obijciunt) necem Anno 1600. ab Alexandro Ruueno eiusque fratre vtrisque admodum Caluinianis. Possunt hæc pluribus illustrari. Sed quid opus soli lumen mutuari & quæ vel cæcis sunt conspicua declarare? Mirantur homines prudentiores istos semiuerbios adeo depuduisse, vt non vereantur obiectare Iesuitis Principum, oppidorum & ciuitatum proditiones, quarum illi ipsi vel maximè sunt rei, vtpote omnis perturbationis, belli, crudelitatis nostra ætate inuentores. Illa enim quam inculcant & obijciunt Gallia multis truculentiæ Caluinianæ etiamnum redundat vestigijs. Qui enim sunt à quibus viginti millia templorum in Gallijs excisa? Caluinistæ. Qui sunt qui duo & quadraginta millia Sacerdotum siue clericorum ibidem vno Anno 1562. diris supplicijs excarnificatos extinxerunt? Caluinistæ.

Ex collect. rerum memorabiliū gestarum tempore fœderatæ vnionis vol. 1. pag. 66.

Mercurius Gallobelgicus tom 4. anno 1600.

Vide theatrum crudelitatis Caluinisticæ.

 Qui

Qui infantes per matrum viscera iugularunt? qui matrum virginumque corpora inserto vteris tormentario puluere, horrendum dictu, fœdissimè disploserunt? Caluinistæ. Qui sues ad discerpenda martyrum intestina, inspersa in apertum ventrem auena, adegerunt? Caluinistæ. Denique qui earum cladium parentes fuerunt quibus, vt Colignius Hugonottus testatur, decem annis vix integris vicies centena millia Gallorum ceciderũt? Caluinistę. Mitto cętera quorũ in Epistola sua ad Vorstium exarata quidam de Societate IESV meminit. Quis vero hic dubitet quin hæc Deo Caluinistico obdurante, excæcante, inculcante, instigante, applaudente, cribrante, clauum tenente, & instrumenta sua dirigente gesta sint omnia? omnia inquam, nam ab illo omnis emanat efficacia erroris, ille opus latrocinantiũ belluarum potius quã hominum suũ opus esse declarat. Vidit Deus cõdito mũdo ꝙ omnia erãt valde bona: dedit & operam Deus Caluinistic⁹ vt omnia quę fecerat essent valde bona. Vidit nimirum zelosissima latrocinia, religiosissima sacrilegia, strenuissimas tyrannides, liberalissimas deprædationes, & castimonialium sacras constuprationes. Non sic Deus Catholicorum non indurat positiuè non item positiuè excæcat (qua acceptione indurationis & excæcationis malitiosè dissimulata, primam primæ theseos rationem

nem

nem mendacium esse Sathanicum impudenter exclamat Apologetes) Non operatur, inquit B. Augustinus lib. de prædestinat. & gra. cap. 4. Deus in homine ipsam duritiam cordis, sed indurare eum dicitur, quem mollire noluerit. Sic etiam excæcare quem illuminare noluerit, & repellere eum quem noluerit vocare & alibi. Non obdurat Deus impertiendo malitiam sed non impertiendo misericordiam. Hæc Catholicorum mens est satis in disputatione explicata, vt proinde parum prudentis sit, re aut neglecta, aut malitiosè intellecta tragicè tumultuari. Quod si vero Deus Caluinisticus per suos filios prædestinatos res illas longè optimas in Gallia inculcauit, direxit, peregit, clauumque tenuit, vide obsecro Lector quo iure, qua fronte Galliam Iesuitis obijcere audeant Caluiniani. Videat quoque Deus & iudicet. Non enim ad homines solum spectat illa calumnia, Sed in Deum ipsum manifesta redundat impietas. Is Tartarea fuligine ab his deturpatus in cacodæmonem, eius fœdè laniata religio, diruta templa, eiusdem combustæ, confractæ; raptatæ, dilapidatæ imagines, vt in nulla eorum ecclesia vestigium appareat crucifixi; honos nominis IESV interdictus, vt nemo pileum capite impunè mouerit, quin litigaturo stomachum moueat Prædicanti. Nihil ego de multis alijs præposteris refor-

mationibus Caluinisequarum in Catholicis ecclesijs dicam, quarum apud Catholicos imitatores, vt sacra quædam anathemata, cæsareis legibus appenduntur. Aequum est Candide lector vt qui quæ vult dicit, quæ non vult audiat: æquius vt susurronum ac detractorum manifestis occurratur calumnijs; illud porro etiam necessarium, vt publicæ criminationes publica censura retundantur. Igitur, vt vna omnium Catholicorum voce loquar, gaudemus in tanta hæreseon & errorum varietate (quos Hedio Zvvinglianus in epistola ad Bezam cõqueritur emersisse ferè 128. qui tamen à multis pro verbo Dei venditentur) illam adhuc manere fidei Catholicæ constantiam, illam etiam quantacunq; est, pacem: Hanc Societas Iesu à multis iam annis libris doctissimis, iuuentutis laboriosa informatione, solidissimis disputationibus, molestijs innumeris, vitæ exemplo & castimonia, accuratissimo religionis instituto, summa ad omnes errorum irreptiones vigilantia protegere ac tueri visa est, vt cum alijs feruore & conatu facilè certare possit. Quos viros etsi Conradus Vorstius pro ea qua est multipliciter constrictus ignorantia (vti in epistolis eius videre est) præferuidum vocet Monachorum genus, nos tamen cum Concilio Tridentino nõ vt Monachos, sed vt selectissimæ religionis & Societatis clericos, præferuidos nostros

ſtros defenſores, in quorum fama nulla vnquam mendacij adhæſerit macula, complectimur. Et quod nõ ſolum pietatis ſed & gratitudinis officium eſt nullum in illos telum calumniæ iaci aduertimus, quo non reſpublica Chriſtiana æquè tangi pulſariq; videatur. Quod ſi vero quorũdam inuidorum ſermunculis ſe traduci intelligant, non ideo de repub. bene mereri, aut diligentiam ſuam acuere faſtidiunt, ſed vaniſſima fortunæ ludibria alta mente deſpicientes in virtutis ac literarum exercitatione conquieſcunt. Idque potiſſimum in lucro ponunt de toto orbe Chriſtiano optimè ſemper mereri, benefacere omnibus, ipſos etiam hoſtes in quorum errores cum ratione efferueſcunt ad ſaniora prolicere conſilia, & in Eccleſiæ auitæ gremium peramanter reponere. Supereſt nunc vt eorundem in mendacijs affingendis libidinem verbo detegam. Vnum enim ſi nôris omnia noueris. Ita ſimili planè ſunt argumento. Admodum quiritantur in diſputatione Apologetica, quam mihi non niſi obiter inſpicere licuit, vtpote iuris alieni, imperfectã adhuc, acephalã & 4. mendacijs admodũ inſignem, iuxtà ac infamẽ, quod ipſos Ieſuitę dicant eſſe Caluiniſequas. quod ipſorũ fidem appellent Credo Caluiniſequarum. quod omnes Eccleſias reformatas vocitent Caluinianas. Et hoc primum Ieſuitarum faciunt mendacium.
Sed

Sed te obſecro Lector, tu iudica, vtrum ne faciant intelligendo vt nihil intelligant; quæq; nuſquam ſcripta ſunt mendacia vt ſcripta arripiant. Legi, relegi, expendi, conuerti ex Latino in linguam vernaculam diſputationem totam, & nec vel vnum gry deprehendere potui quo hunc illúmve Prædicantem Caluiniſequam indigitârint, vel illius fidem idem eſſe quod Credo Caluiniſticum, innuerint. Sed vniuerſa vniuerſim poſita comperi, demonſtratumque quid ijs qui Caluinum ſequuntur de tribus fidei articulis ſit ſentiendum. Nec volunt, nec ſi velint poſſunt Ieſuitæ Prædicantium fidem depingere, vt quos Protheo videant in ſuis opinionibus mutabiliores, intelligantque Libertinos; qui in nullius verba, Doctoriſque de ſenſu ſcripturæ ſententiam iurent, ſed facili momento euanidis ſomnijs & ludibrijs Spirituum (albi an atri ſint parum intereſt) in alias atque alias ſectas abripiantur. Quod ſi Caluinum non ſequuntur, vt aiunt, quid ſibi Credo hoc aſſcribi mentiuntur? pro Caluiniſequis adornatum eſt, in quibus ſi non ſunt ipſi, nihil ad eos prorſus ſpectat. Statuantque licet, non eſſe cur Caluinum contentiosè defendant, aut quaſi eo egregiè defenſo & propugnatò glorientur. Quod ſi vero ipſi etiam cum Caluino victi victorias flare audeât, noueris quod ait Tertullianus lib. de præſcript. hæret. cap. 15.

hæreticos etsi vincantur nunquam tamen vinci. Quid ita? quia semper superiores esse consueuerunt mentiendi libidine & impudentia. Sin autem Caluinum sequuntur, non per Iesuitas, sed sua ipsorum placita Caluinisequæ constituuntur, suisque indicijs vt sorices in vulgus agnoscuntur. Habes primum quod statuunt mendacium Iesuiticum, ex quo de reliquis potes iudicare. Illud tamen præterire non possum quod pro sua illa synceritate prædictorum mendaciorum artifex ita candidè scilicet in Bellarmino versatus sit vt dignissimus sit cui posthac nullũ vnquam verbum non à prudentioribus viris tantum sed ne à minimo quidem discipulorum credatur. Virum videlicet incomparabilem Bellarminum & grauissimum huius sæculi doctorem mendacijs suis malitiosè onerauit. Rideres ranam hanc Aesopicam in enarrandis erroribus Bellarmini inflari vt crepet. Ego interim in hoc meam fidem tibi obligo, quod è Caluini Institutionibus in octaua Geneuæ in officina Francisci Perrini Anno 1569. impressis nihil sit circa articulos Caluinisticos citatũ, quod à meipso nõ sit ibidem inuẽtum, vt proinde merito rideas mendaci loquentulos istos, qui dictitant Caluino multa affingi, quæ in ipso non reperiuntur, aut si reperiantur quod huiusmodi à Pontificijs veteratoriè interserantur. In notis, Si


quid

quid aberratũ non fraudi Authoris sed Chalcographicis demutationibus, impreſſionibus diuerſis, alienis non à re ſed loco citationibus condonet ingenuus & candidus veri Lector. Vale lector & hoc illuſtre mendacium Caluini lib. 4. Inſt. cap. 7. §. 27. expende, & an vllum vnquam impudentius legeris, quam ſit illud quod ſequitur triplex attentè conſidera.

Quaſi vero dubium ſit qualem religionis ſpeciem profeſſi ſint iam pridem Pontifices cum toto Cardinalium collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ illius Theologiæ, quæ inter eos regnat, caput eſt, nullum eſſe Deum. Alterum; quæcunque de Chriſto ſcripta ſunt ac docentur, mendacia eſſe & impoſturas. Tertium; doctrinam de futura vita & vltima reſurrectione meras eſſe fabulas.

RESPON-

RESPONSIONIS VVORSTIANAE AD PRAEfatiunculam Confutatio.



ADDIDERAM prefatiunculam breuē Credo Caluinisequarum, in qua primum quaternionem recenter è prælo allatum refutâram. Pupugit eà res Prædicãtem proximum, qui illico admonitiunculam ad lectorem conscripsit, sed ita mutilam & imperfectam, vt in vernaculo eam reddere puduerit. Fecit igitur aliam quadruplo, si folia spectes, longiorem, vt Quadruplatorem facilè agnoscas, & fæcundum mẽdacijs pectus? At quid in ea? omnes quæ in ventoso & mendaci farcimine possunt esse farturæ. puta, mendacia, calumniæ, venti & inanis gloria.

§.1. Primo ais, quod Iesuitæ ad tuas disputationes se venturos promiserint; in quo spiritus illius, albi an atri nescio, somnijs illusus tuis auditoribus egregiè imponis. Deinde vt Cretenses se nescire mare; ita tu mẽtiris quod te venturũ nunquam Iesuitis spopõderis. Recordare enim mecũ epistolicũ tuum certamẽ, in quo ne causæ tuæ diffidere putareris intumescẽs spiritu Caluinistico aduersarijs respõdisti. Veniam fortasse ad vos aliquãdo presertim vocatus, & animũ diuinæ gloriæ vestræq; salutis percupidum ostendam. Num venisti, voca-

vocatus, desideratus, appromissus duodecimo post primam disputationem die. O Thrasonem! ô fumiuendum fumo dignum, Conuenerat vt mõtes hos parturire videret frequens auditorium; parturiebat nemo nisi quis forte nascebatur ridiculus mus. Itaq; spe omnes lusi subrisimus. Asserit interim æquè constanter prædicans nihil tale sibi à Iesuitis posse obiectari. Loquitur prædicanticè, nihil est noui.

§. 2. Secundo vis à Iesuitis orthodoxos ad necem raptari. Sed nisi propitium Aeolum habueris actum est de his tuis fumis. Inspiciamus enim quem citas hanc ad rem Bellarm. qui libro 3. de laicis cap. 21. sic loquitur. *Ioannes Huß, Lutherus, & Donatistæ docuerunt non licere hæreticum incorrigibilem tradere sæculari potestati ad puniendum & comburendum. Contrarium docent omnes Catholici, & aliqui ex hæreticis. Nam Caluinus posteaquam Michaelem Seruetũ tanquam hæreticum publicè supplicio extremo affecisset, & ab alijs sectarijs argueretur, libellum edidit, in quo demonstrat licitum esse in hæreticos gladio animaduertere. Benedictus quoq; Aretius in historia de supplicio Valentini Gentilis, eundem Valentinum ob hæresin iure cæsum à Bernensi magistratu contendit. Fusius vero idipsum docet Theodorus Beza in lib. de hæreticis à magistratu puniendis.* Hactenus Bellarm. Ecce tibi homo effrons inculcat idem Caluinus, monet Aretius, testatur Theodorus Beza primarij è Caluinistis, Catholico-

rum

rum omnium vna est vox & sententia. Et tu huius sententiæ veluti solos authores & doctores Iesuitas, summi sceleris arguis? Si non peccauit tibi Caluinus ille tuus pius Ecclesiastes, vt ais, eundem cum ipsis lapidem mouendo; quomodo Iesuitæ idem docendo offenderunt? Tu scilicet Caluino, Aretio, Beza, iudiciosior, ingeniosior, doctior nihil quid illi dicant curabis, & in solos Iesuitas te transuersum cæca rapiet inuidia? Recognosce iterum verba Bellarmini sequentia. *Nos igitur ostendemus, hæreticos incorrigibiles, ac præsertim relapsos posse ac debere ab Ecclesia reÿci, & à sæcularibus magistratibus temporalibus pœnis, atque ipsa etiam morte multari.* Quid si hoc idem totidem verbis de sua Caluiniana Ecclesia affirment Caluinistę? Tenentur eorum libri, testata satis est verbis iuxta ac factis eorum doctrina. Quid ergo tecum incipiam aselle, nisi vt prius te ad scholas ablegem, quo magistrorum tuorum perdiscas sententiam, & videas quæ in Seruetum & Gentilem constituerunt supplicia. Dicam quod res est. Furor & inuidia hoc loco tuam garrulitatem acuebant, non ementitus veri amor. Tantum enim tibi & tuis symmistis in Iesuitas est odium, vt si id tibi per vires liceret vel omnium carnifex esse optares.

§.3. Veniamus ad reges & principes, & num ea sibi constent, quæ de eorum nece veterator inuidus blaterat, videamus. Vim, in-

quis, Regibus intentant Iesuitæ. Huius rei quosnam testes habes? 1. Mendacissimam ex Anglia Galliaque famam, quam inchoarunt maleuoli prædicantes. secundo, trium schedarum Ingenuæ orationis, Narrationis fidelis, & Admonitionis fidelis authores. Quos? quales? viros an fæminas? ingenuos an scurras? veraces an mendaces? nihil horum innuit. Sed tu tamen dic obsecro, quales? Vnico verbo, mendaciorum pudendorum architecti, quibus propter constitutiones imperij in famosos libros timor fuit nomen suum apponere. Hos tu nobis testes obtrudis stolide accusator? At saltem exemplo nos opprimes. quo illo? Henricum 3. Iesuitæ interfecerunt. per quem? an Pultronium aliquem subornarunt? an suo è collegio vllum submiserunt? mentire audacter, erit delira vetula quæ credat & ingemiscat.

Vide Philippica Iacobi Siluani.

§. 4. Pergis ineptire. Hic, inquis, nihil illos iuuant, quę pro illis affert Baccalaureus de florenti illorum statu in regno Galliæ. Innocentiæ ô Deus vberrimum das testimonium, tibi gloria. Vis dicam prædicans quid prosit? Nimirum vt dum illam publico in foro columnam, publicum totius Galliæ pro Societate Iesu testimonium, publicam magnificentissimamq; gratulationem factam Regi ob Societatem merito restitutam, videt Caluinista, irascatur, ringatur, rumpatur. Quid vero

ad te

ad te mediterraneum, syluanum, Lythophorum Veneti peninsulani? Abierunt ab ijs Iesuitæ, eiecti non sunt; voti sui facti Rom. Pontifici rationem habuerunt, flagitium quod tacitè insinuas non admiserunt. Quid in his venenose aranee culpas, quid insectaris?

§.5. Negas quæ à me hoc loco historicè ad defensionem Societatis inserta erant ex libris in Anglia impressis. At quibus authoribus? prorsus tenebrionibus & quos è bacchanalibus Caluinisticis laruatos reproducis: Scilicet Orationem Ingenuam, Narrationē fidelem, infideles testes.

§.6. Dixeram quod ferè concedis à Caluinianis tuis 20. millia templorum in Gallijs excisa. 42. millia Sacerdotum siue clericorum vno anno 1526. miris modis **excarnificata: Infantes per matrum viscera iugulatos: ma**trum virginumque corpora inserto vteris tormentario puluere, horrendum dictu fœdissimè displosa. Martyrum intestina apertis corporibus suibus in pastum data. Nequitiam & tyrannidem tantam vt 10. annis vix integris, teste Colignio tuo vicies cētena millia Gallorum ceciderint. Flagrante Marte hæc gesta affirmas. Itaque vt video nihil aliud euici, nisi Caluinistas modo Marte flagrante ista patrent innocentes esse: reos autem Iesuitas, qui nō modo furente Marte, sed ne pace quidem vnquam vllum mortalium in

causa sanguinis iudicialiter accusârunt (nulli enim Ecclesiastico in causa sanguinis aut iudicem aut accusatorem esse licet) ne dicam ad mortem raptârunt, vt tu inuidè prædicans mendaciter debaccharis. Quæ autem à Catholicis magistratibus contra tuorum machinationes gesta sunt extra bellicos furores, non solum ratione ipsa, sed & tuorum præceptorum adstipulatione confirmata cõtra tuos latratus immota persistent. Sed nihil hæc ad Iesuitas, quos tu solum reos esse volebas. Hic tu me ad Martyrologium Caluinisticum remittis, sed ego te vicissim ad theatrum crudelitatis Caluinisticæ accerso. Scio tamen nihil tuo palato sapere nisi sordes Caluinisticas. Relinquamus eas tibi vt habeas in quo triumphes.

§.7. Visne tibi præposteras tuas & tuorum prædecessorum Caluinoprædicantium reformationes dicam? Non dicam ego, dicet homo doctissimus & integerrimus natione Anglus Thomas Stapletonus in promptuario morali in Dom.7.post Pentecost.

Mutata est religio Christianorũ, vel vt hæretici nostri loquũtur reformata est, &c. Mutata est ab illa in qua piscatores fiebãt Apostoli, laici fiebãt clerici, & sęculares facti sũt religiosi; ad illã in qua Apostolorum successores fiunt Apostatæ; clerici non distinguuntur à laicis,

laicis, religiosi redeunt ad sæculum, atque adeò redire coguntur, vel certè redeuntes laudantur. Ab illa quæ orabat pro defunctis fratribus, ad illam quæ omnia pro defunctis orandi collata subsidia, instituta collegia, constructa monasteria, expilauit. Ab eleemosynarum largitione, ad Xenodochiorum subuersionem. A vita claustrali, ad luxum aulicum. A voto castitatis, ad monachorum connubia, id est adulteria approbata. A velandis virginibus ad stuprandas matronas. A vinculo thori cõiugalis ad frequentia diuortia, & superinductas vxores, id est, concubinas domesticas, superstite relicta. A voto paupertatis ad professas & legibus probatas vsuras. Ab obedientia voluntaria, ad arrogantiam affectatam effrontem & effrænem. A paucorum superstitione, ad impietatem communem. Ab hypocrisi quorundam ad iniquitatem iactabundam: vt qui antea castitatem simulabat, inter adulteros esse castus erubescat. A certis ieiunijs ad perpetuam ingluuiem & carnis curam in

desiderijs. A precibus Ecclesiasticis, ad prædicationes laicas. A concionibus doctorum, ad lecturas adolescentum & muliercularum. A memoria sanctorum, ad reliquiarum exustionem. A peregrinatione, ad loca sancta, ad frequentanda lupanaria. A timore & tremore, quo iubet nos Apostolus operari salutem, ad certitudinem & presumptionem, quam docet Caluinus, timore vacuam. A studio virtutis, ad contemptum peccati. A verecunda peccatorum confessione, ad gloriandum in rebus pessimis. Ab illa religione quæ omnes hactenus hæreses damnauit, ad illas sectas, quæ omnes ferè veteres hæreses resuscitârunt: Ab Ecclesia visibili, notissima, illustri, & supra montem posita iuxta Scripturas, ad latitantem in deserto, & fugitiuam meretriculam, iuxta misera paucorum perfugia. Ab illa cuius sunt certa & firma fundamenta, ad illam cuius totum fundamentum suus cuique animus est: qui illud in scripturis & Ecclesiæ dogmatibus quod volunt credunt, quod nolunt non credunt, ideoq;

ideoq; nec scripturis nec Ecclesiæ, sed sibi ipsis credunt, &, vt ait Irenæus, semetipsos prædicant. A voce interpretantis Ecclesiæ, ad sensus scripturæ cuiusq; priuatos & proprios. A verbo Dei integro, ad textus corruptos. Ab vna versione Catholica, ad innumeras nouas. A patrum consensu, ad patrum contemptores vel corruptores. A iugi sacrificio, ad abominationē desolationis. A cultu præsentis Christi, ad horrendam idololatriæ Christianæ calumniam seu blasphemiam potius. A fide & bonis operibus, ad solam fidem iustificantem & saluantem. A studio merendi vitā æternam, & violenter rapiendi illam, ad doctrinam præsumendi eam, & absque certamine coronam adipiscendi. A mandatorum obseruatione studiosa, ad doctrinam de impossibilitate obseruādi ea. A libero arbitrio, ad necessitatem peccandi. A reuerentia sacerdotum, ad occisionem eorum. A consecratis & ornatis templis, ad demolitiones eorum. A veneratione sanctorum, ad eorum statuas deturbandas.

A legibus Ecclesiæ ad placita principum. A septem Sacramentis ad duo, vel tria, vel quatuor. A liturgia Catholica ad cœnas Caluinisticas. A sacerdotio ordinato, consecrato, & cælibe, ad ministerium politicum, profanum & vxoratum. Ab illa religione quæ sexum muliebrem & vtriusque sexus pueros ac iuuenes in modestia & verecundia metuq; maiorum continebat: ad illas sectas, in quibus nec pueri nec fœminæ quicquam erubescunt. In quibus videlicet naturali verecundiæ, successit impudentia; pudori virginali, effrons lasciuia; munditiæ, fucus; oculis demissis, elati & leues; parcitati verborum, superba loquacitas; operi assiduo, lusus perpetui; acui & filo, chartæ & tripudia; libellis precum, cantilenæ amatoriæ; frugali parsimoniæ, luxus immodicus; rosarijs B. Virginis, plumulæ crispatæ, pectines, verriculi; erubescentiæ de futuris nuptijs, risus effusi de rebus venereis. Hæc iuuētutis in Anglia (postquā hæretica esse cœpit) mutatio facta est. A metu peccati ad verecūdiā

iustitię, vbi scortatores fiũt, ne Papistæ videãtur, vt in Anglia hæretica. Plurima breuitatis causa omitto. *Addo ego* ab ea religione, quæ nomen Iesu aut aperto capite aut corporis inclinatione veneratur, ad illam quę id vel irridet vel prohibet; vt nunc factitatur in Palatinatu. Ab illa in qua Christiani crucis formatione Diabolos fugant, ad illam in qua captiui Diaboli crucis formationem subsannant, multo minus vsurpant. Ab illa quæ bona opera laudat ad illam, quæ omnium iustorum opera peccata nominare non erubescit, vt tuus Caluinus. Ab illa Ecclesia quæ sacra in templis altaria habuit, iugemque Christi ante oculos etiam in imagine præfixi memoriam, ad illam, quæ sic omni Christiano ornatu templa sua nudauit, vt à Turcicis delubris nihil iures differre.

Habes hic non tam meum quam Stapletoni de tuis fœdissimis reformationibus Catalogum, quas si placet excute. Est vir ille in suæmet patriæ miserijs deplorandis testis incorruptus.

§. 8. Quod Iesuitas Monachos appellasti ignoscemus ignorantiæ tuæ; cui mox maleſani cerebri figmentum adijcis, quaſi quæuis vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ monachum faciant. Hæc mera tua eſt ignorantia, necdum didiciſti inter vota diſtinguere. Bellarminum falsò citas, vt ſoles, & rationem Monaſtices ab illo aſſignatam cap. 1. malitioſè diſſimulas. Sed non eſt opus proijcere margaritas ante porcos. hæc tibi ſufficiunt. Quod autem de eorum laude dixi, dico, dicamque quoad viuam (etſi tu crepes inuidia) nullum eſſe religioſorum in orbe Catholico genus, cui propter vitæ præcipuam integritatem & exoticam eruditionem libidinoſorum prædicantium genus infeſtius ſit, quam eſt ſancta Ieſu Societas. Et quia tibi ſpina in oculis ſunt nō ceſſas inſtar rabidi canis in eorum famam graſſari. Hinc illam maligni pectoris mephitim exhalas, dum eos orbis terrę principatum affectare cōminiſceris. Deum, diuos omnes, Europam, orbemque nouum teſtor te poſt natos homines impotentiſſime impudentiſſimeque mentiri Hæc tibi commenta ſola inuentrix extorſit inuidia.

§. 9. Quod de inconſtantia prædicantium inſerui id nihil nouum eſt, quando enim cuiuis licet ſacram Scripturam ſuo arbitratu vt cereum naſum trahere ac flectere (quæ vnica hæreticorum regula eſt) quid mirum quot

ſunt

ſunt capita, tot oriri ſententias? vbi ad nullius magiſtri verba certò reſpicitur, deliratur verius quam cogitatur quomodo conſtantia doctrinæ inueniatur.

§. 10. Ad Bellarminum venio inuictiſſimum, vt ſcripſi, Eccleſiæ Apoſtolicæ propugnatorem, quem ſi Dijs placet conſarcinato Pontificiorum errorum indice refutauit. Quibus argumentis? nullis, qua forma? ſua illi figmenta appingendo. Ecce vnum è multis. Quæſtio eſt inter Catholicos & hæreticos, an toto cap. 6. D. Ioannis agatur de Euchariſtia nec ne. Bellarminus reſpondet negatiuè lib. 1. de Euchariſtia cap. 5. verſu. 11. in maiori editione.

Quantum ad primum non eſt controuerſia, an in toto capite agatur de Euchariſtia: conſtat enim non ita eſſe.

Vorſtius vero Bellarminum ſic citat in Enchiridio ſuo affirmatiuè.

Chriſtus in concione illa, quam habuit Ioannis 6. non niſi de Euchariſtia, deq́ Sacramentali manducatione corporis & potione ſanguinis perpetuo diſſerit. Bellar. ibid. c. 5. 6. 7.

Et cum tam inſigniter mentiaris, peierare tamen hiſce verbis non times. Ich bezeuge hir mit für Gott vnd aller Welt/ daß ich jhm ſeine meinung im geringſten pünctlin wiſſentlich nit verändert habe. Sic diem in noctem, album in nigrum vertas licet & periures nihil abs te mutatum.

§. 11. Feſtu-

§.11. Festucam in alienis & trabem in oculis tuis non vides. Errata carpis typographica quibus ipse abundas, & non vides opus tuum nihil esse nisi continuum errorem, mendacium, calumniam?

§.12. Videamus nunc vt Apologetes nec eximius nec probæ fidei: Caluinum Ecclesiasten tuum, grauissimis & trabalibus mendacijs expedias. *Ad homines*, ait Caluinus, *si veniamus satis scitur quales reperturi simus Christi Vicarios, Iulius scilicet, & Leo, & Clemens, & Paulus Christianæ fidei columnæ erunt, primiq; religionis interpretes, qui nihil aliud de Christo tenuerunt, quam quod didicerant in schola Luciani. Sed quid tres aut quatuor Pontifices enumero? Quasi vero dubium sit, qualem religionis speciem professi sint, iam pridem Pontifices, cum toto Cardinalium collegio & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ illius Theologiæ quæ inter eos regnat caput est, nullum esse Deum. Alterum, quæcunq; de Christo scripta sunt ac docentur mendacia esse & imposturas. Tertium doctrinam de futura vita & vltima resurrectione meras esse fabulas. Hæc iam pridem esse cœpit Pontificum religio.* Interpretatur hæc de vita aliquorum Pontificum noster VVorstius, quasi Caluinus non loquatur disertim de doctrina in schola Luciani imbibita, quasi mendacium nō sit, inter eos non fuisse aliquos laude dignissimos, quasi non alia sit quæstio de cognitione, alia de operatione & vita. Sed confundat omnia

hæc

hæc more ſuo VVorſtico prædicans. Nos hac ratione non aliud concludemus, quam etiam atheum eſſe Caluinum vtpote Sodomitam, quam atheum Bezam vt quem fuiſſe conſtet adulterum, quam atheum hunc noſtrum prædicantem, vt qui ſe oſtendat mendacem, iracundum, maledicum, quam deniq; Caluiniſtas atheos eſſe; vt qui prædentur, helluentur, volutentur in omni ſcelere, ac ſi non ſit Deus, qui ea prohibeat.

Deinde ſi libebat tibi tam pudenda Caluini mendacia extenuare atque excuſare, cur non etiam ea, quæ vel in Credo Caluiniſeq. vel in meis demonſtrationibus, quod Caluiniſtarum Deus ſit Diabolus, te inueniſſe ſomniaſti; cur inquam ea ſimiliter non es conatus bene interpretari? maxime cum ſanè intellecta, omnia ſint veriſſima & ſuis comprobata rationibus. Mentitur tibi Lutherus, cum ait ſe ſanctè hoc iuraturum D. Carolſtadium non credere Deum eſſe in cœlo. Non mentitur Caluinus dum quaſi iurat & in ſuis Inſtitut. hoc velut diuinum quoddam elogium ponit, Pontifices credere omnia quæ de Chriſto ſcripta ſunt eſſe mendacia. Qua fronte qua conſcientia ita ad arbitrium tuum omnia vertere & peruertere non extimeſcis? credisne ceteros præ te fungos eſſe: vt prono aſſenſu omnia tua pro Euangelijs ſint acceptaturi? Caluinus hyperbolicè eſt locutus, cur non etiam

iam Lutherus? Caluinus vitam respexit impiam, vt vis sed falso, pontificum, cur non etiam malam Carolstadij vitam respexisse tibi dicitur Lutherus? cur non vtrumque in pari causa vel absoluisti, quando iam vni constitueras patrocinari? vel eadem sentẽtia (prout merebantur ambo) condemnasti? Sed nimirum Caluino ebrius homo, nil nisi thus, vt est apud Aristophanem, pedere Caluinum iudicare potest, vt planè similes (quod in prouerbio est) habeant labra lactucas. Alioqui emunctiorum narium viris plus quam hircũ olent ista: Pontifices cum suis credere, omnia de Christo esse fabulas, eos arbitrari, nec resurrectionem nec Deum esse. Habent enim ij exploratum, adeo non fieri fabulam ex Christo, vt etiam sanguinem cũ vita pro Christo fundere Pontificij sint parati, fundantq; etiamnum inter gentiles. Longe prudentius alij è fece Caluiniana respondent, se non omnia tueri Caluini dogmata, hominem eum fuisse & vt hominem aduersariorum odio longius quandoque progressum esse, labi potuisse & lapsum esse. Sed huc descendere tibi non libet; times ne si Caluinus parens tuus mendacij conuictus concedatur, tu filius eius & parentis & tuis ipsius mendacijs onereris, cumq; tota Caluini doctrina exsibileris. Cui enim non sit promptum, dato eo quod Caluinus in his sit mentitus, extemplò inferre Caluino

in

in cęteris fidei articulis & ſcripturis explicandis etiam non credendum, eo quod mendax hoc mereatur, vt etiam verà dicenti non credatur. Tu vide quam malam cauſam foueas, vtq; ſolo te vlciſcendi affectu, & in Ieſuitas æſtu ac furore abreptus ſis à veritate. Redi in viam, quæ Chriſtus eſt, & ad matrem tuam Eccleſiam Catholicam, à qua deſciuiſti reuertere. Neq; enim alias habebis Deum patrem, ſi Eccleſiam Romanam, nolueris habere matrem Iſtud concors votum Ieſuitarum: Hic & non alius gladius aut minę cōtra obſtinatum.

IN DOCTRINAM CALVINI DE PRAEDESTINATIONE.

Caluini dogma eſt: aut cælo, aut natus Auerno es;
Quicquid agas calum te vel Auernus habet.
Qui leget hoc atrox Caluini dogma; caueto,
Ne ruat: incautus qui legit, ille ruit.

ALIVD.

Cornuto gaudes Caluine ſophiſmate: quare?
Corniger Europa primus adulter erat.
Perdere vis iterum; duo ſumas cornua, quorum
Ictibus ad Stygias corruat orbis aquas.
Aut inquis reprobat Deus, aut probat, alea iacta eſt,
Fruſtra immota Dei vertere fata ſtudes.
Si probat; intrepidum turpi da pectus amori:
Si reprobat; ceſſas, vt moriare, mori?
Luxuriare iubes, vel deſperare, Sophiſta:
Fautorem ſtygÿ te patet eſſe Iouis.

Plato in Dialog. 2. de repub.

Modis omnibus pugnandum est ne Deus qui bonus est, dicatur esse malorum causa, nec qui iustis legibus victurus est verba hæc dicat in sua ciuitate, nec alium loquentem audiat. Est enim & probitatis, & vitæ cõmunis, & legum, & ciuitatum extrema corruptio.

IN CALVINI DOCTRINAM quod Deus sit auctor peccati.

1.

Abelis cædem; furias Dauidis & ignes;
Perfidiam Iudæ, vult Deus: & Deus est?

2.

Quis Stygias metuat, Caluino iudice, pœnas?
Si Deus omne scelus conflat & ipse luet.

3.

Tu Caluine Dei, qui suadet Crimina, cælum
Solus habe; istius gaudia nolo Dei.

4.

Caluini audisset cum dogmata Tartarus; Et quid
Frigeo, cur tantis ignibus vror? ait.

5.

Redde vicem merito, Caluino redde minerual
Lucifer: ipse nouum te facit esse Deum.
Reddo lubens; pœnas & Tartara, quæ mihi restant
Ex æquamecum diuidet: hoc satis est.

CRE-


TRES PRIMI ARTICVLI

MONASTERII IN CELEBRI GYMNAſio Paulino Societatis IESV pridie Epiphaniæ Chriſti Anno clↄ IↄcVII. publicè ad diſputandum propoſiti.

A R. Domino M. Ioanne Bothorn Theolog. practicæ ſtudioſo, S. Lamberti Vicario.

ARTICVLVS APOSTOLICVS.

CREDO IN DEVM PATREM OMNIPOTENTEM CREATOREM COELI ET TERRÆ.



DEVM hunc Caluinus ſibi, ſuiſq; ſectatoribus transformauit in Diabolum, prout è ſchola Lutheri Heshuſius *lib. de error. Cal.* è cœtu Caluinianorum Caſtalio *lib. de prædeſt.* è Catholicis Bellarminus *Tom. 3. lib. 2. c. 4. de amiß. grat. & pecc.* Maldonatus *in ca. 4. Matth.* Becanus *Diſp. an Deus ſit author pecc.* diligenter obſeruarunt ac notarunt. Res dictu mira, ſed probatu non difficilis: age enim qui eadẽ DEVM ſpecie ac fuligine depingit, qua deturpatus Lucifer, ex Angelorum pulcherrimo degenerauit in inferorũ omnium teterrimum, an non DEVM manifeſtè transfigurat in Diabolum? At verò depinxit DEVM ſuum, ſuorumq; Luciferi coloribus Caluinus. Quid enim? Sathanæ illa in ſcripturis ſacris **Caluini Deus Diabolus.**

sunt lineamenta, ac notæ propriæ: hominum mentes excæcare,*indurare, suisq; mendacijs decipere *Genes. 3. 3. Reg. 22. Ioan. 8.* eas ad proditiones, rapinas, homicidia extimulare *Ioan. 13. Osee 4. & 5.* illis adulteria, incestus & id genus fœda flagitia inculcare *Luc. 4. Matth. 4. Act. 5. 1. Corinth. 7. 1. Thessal. 3.* eas cribrare ac tentare. *Luc. 22.* Quicquid horum est, suo impingit DEO Caluinus. ille potissima, potentissimaq; caussa est omnis omnino humanæ deceptionis; vt *à quo* omnis *emanet efficacia erroris. 1. Inst. cap. 18. §. 2.* ille fons & origo est vastationum, bellorumque omnium: vt *à quo appareat certa destinatione Assyrios fuisse impulsos.* (*Ibidem*) ad Iudæam igne ferroque vastandam; ille conciliator & perpetrator est vniuersæ infandæ libidinis, vt *qui detestabilem Absolonis incestum suum esse opus pronunciet.* Expressit omnia simul nulla verborum vsus circuitione Princeps ac primipilus Caluinianorum Zvvinglius *serm. de prou. Dei cap. 6.* ad Cattorum Regulum scribens: *Quando facimus adulterium aut homicidium* (idem de alijs sceleribus est iudicium) DEI *opus est motoris, authoris, impulsoris*, expressit eadem Caluinizans Melanthon *in cap. 8. ad Rom.* disertis verbis asserens: *adulterium Dauidis & proditio Iudæ, ita proprium est opus DEI; sicut vocatio & conuersio Pauli.*

* quod positiue intelligendum. Cribrare, tentare, flagitia inculcare proprium est Diaboli.

Ratio 2. Quia Deū facit authorē peccati.

2. Sed duabus è Caluino sumtis propositionibus hæc & breuius & non minus apertè

con-

concludamus. ait ipsemet; Libertinos *in Instructione contra Libert. cap. 14.* eò quod DEVM astruant scelerum authorem, *non tantum Diabolum cum DEO societate coniungere; sed etiam in Deum ipsum transformare.* Atqui ille ipse DEVM astruit scelerum authorem cum scribit. *1. Institut. cap. 18. §. 3. Iam satis aperte ostendi, DEVM vocari omnium eorum* (puta peccatorum quà peccata sunt, de quibus inibi agit) *authorem; quæ isti Censores* (Doctores Ecclesiæ Catholicæ) *dicunt ocioso tantum eius permissu contingere.* Transformat igitur etiam ipsemet DEVM suum suorumque in Diabolum. vt proinde sectatores eius culpari non debeant; quod vel in Gallia Parisijs in æde D. Medardi rubrum in vitrea fenestra Cacodæmonem, dissecta Christi cruce reliquerint; vel in Anglia Londini, in templo D. Pauli solam Luciferi imaginem reseruarint; vel Antuerpiæ in Belgiô in primaria Basilica, Sathanæ statuam, alijs euersis exustisque retinuerint; vel Lugduni Batauorum reuertentes à diruto suburbano Franciscanorum Monasterio, pro Christi signo & vexillo aterrimum Dæmona suo agmini prætulerint. *Delrio lib. 3. Disq. Mag. par. 1. qu. 7. Sect. 1. Bredenb. lib. 7. cap. 38. Lindan. de fug. ido. lib. 1. cap. 15.*

Caluinianorum erga Diabolũ religio.

3. PATREM. Et hic (quod erat necesse transformato iam DEO) in vitricum, in Tyrannum, in Carnificem multis nominibus ac

Pater cœlestis Caluino est carnifex.

modis à Caluino est commutatus. Primum enim diu ante præuisa peccata omnia, atq; adeò ab æterno, prius atrocem in humanum genus tulit sententiam; quàm perspexerit caussam. prius sempiternis hominem adiudicauit inferorum supplicijs; quàm vlla eius præuideret flagitia. prius definiuit vniuscuiusque reprobandi pœnam; quàm cognorit culpam. *Homines, ait, Lib. 3. Instit. ca. 23. §. 2. nudo DEI arbitrio, citra proprium meritum, in æternam mortem prædestinantur. & Ibid. cap. 22. §. 3. vbicunq; regnat hoc DEI placitum nulla in considerationem veniunt opera.* Quid autem postea? vt hoc quod decreverat ad eum modum iniustè, videretur tamen exequi iustè, non permittendo tantùm habenas laxauit malis spiritibus, ad hominem in scelera quæque propellendum: verum etiam vt id facerent, illis iniunxit. *Scimus, ait, Lib. 1. Inst. c. 18 § 1. Sathanam se corã Deo sistere ad excipienda iussa, nõ minus quàm Angelos: necquid aggredi, nisi volente DEO, cuius cum certo mandato mittitur, vt sit Spiritus mendax in ore Prophetarum. ad cuius nutum, potentiamq; respondet instrumentum magis ipsius in agendo; quàm author. Lib. 2. Instit. ca. 4. §. 5.* Præterquam enim, quod iurato nostro hosti mandat imbecilli homuncionis oppugnationem; eum etiam occulta quadam vi, in illo oppugnando, supplantandoq; adiuuat, adigitque Sathanæ & peccato victas manus dare. *Agit igitur homo lib. 1. Inst. ca. 18. §. 4. iusto Dei impulsu, quod sibi non licet* & in quo peccat, flammasq; meretur æternas.

Ratio 1. Quia Inferos decernit homini ante præuisam culpam.

Deus Caluino peccati est auctor primarius, vtens Diabolo vt instrumẽto.

4. Ex-

4. Excusatum à peccato hominem putasset alius in eo, quod voluntatem suam voluntati ac impulsui conformasset diuino; vt cui nec debeat nec possit resistere. Sed nequaquam eum excusari apud DEVM permittit Caluinus. *Excusabiles, ait lib. 3. Instit. cap. 23. §. 9. peccando haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi necessitatem; præsertim cum ex DEI ordinatione sibi iniiciatur huiusmodi necessitas. Nos verò inde negamus rite excusari.* Ne verò quid deesset ad certam hominis perniciem & interitum; idem ille pius Caluinistarum Parens legem homini dedit; quam nec per gratiam DEI quantamcunque etiam, posset seruare. Hinc Caluinus: *2. Instit. cap 7. § 5. quod impossibilem legis obseruationem diximus, id est paucis explicandum simul & confirmandum;* In *Antidoto Concil. Trident. sess. 6. mihi abũde sufficit neminem extitisse vnquam, qui legi DEI satisfecerit, nec vllum posse inueniri.* Vt autẽ crudelius posset deinde in transgressorem desæuire, minimis & leuissimis lapsiunculis desideriolorum ac verborum inanium, maximas & grauissimas pœnas æternæ mortis præfixit. *Non est,* scribit Caluinus, *Lib. 2. Instit. cap. 8. §. 58. 59. quod vel leuissimas cupiditates (etiam omnem deliberationem antegressas) iudicio mortis eximamus. Quare habeant filij DEI* (Caluiniani) *omne peccatum mortale esse, quia est aduersus DEI voluntatem rebellio.* Quis vnquam Vitricus, aut Tyrannus, aut Carnifex, si eiusmodi DEVS est PATER? Herodes, Nero,

Ratio 2. Quia ad peccatum necessitat.

Ratio 3. Quia legẽ impossibilem dedit, ne carnificinam effugiat.

Ratio 4. Quia mortis iudicio plectit minima peccata.

Caligula, Busyris, Mezentius præ hoc Caluinistico DEO quidam Mitiones fuere.

Deus Caluino non est omnipotens.

5. OMNIPOTENTEM. Corrige hoc, mutatisque litteris pauculis, vt consequentia aptè nectantur antecedentibus, fac ORCIPOTENTEM. Præterquam enim quod talem esse DEVM iam descriptum, est necesse; etiam apertè Deum omnipotentem non esse Caluinus asseuerat. Non illi Deus potest, licet extremum suæ potentiæ exerat, licet sapientissimus DEI filius in cœna nouissima, contrà quàm Caluino placuit, asserat non tamen potest Christi corpus vel simul in cœlis collocare, & constituere sub specie panis ac vini in terris; vel ita infra aut supra cœlos omnes reponere in spatijs vacuis, vt non sit in loco, ac ambiatur à superficie corporis continentis; vel sic præsens efficere augustissimo Sacramento, vt non æquetur, quantus viro debetur, loco. *Cur non faciat Deus*, aiunt apud Caluinum orthodoxi, *4. Instit. c. 17. §. 24. vt caro eadē plura, diuersaq; loca occupet, vt nullo loco contineatur, vt modo & specie careat?* Respondet autem Caluinus *Ibid. Insane cur à DEI potentia postulas, vt carnē faciat simul esse & non esse carnem?* nimirum, vt hoc Caluino DEVS efficere penitus non potest, ita nec ista. Vt exiret æterni Patris filius Christus ex vtero Virginis hunc in mundum Virginali claustro non aperto. vt prodiret è sepulchro lapide ad viam patefaciendam non diuulso. vt intraret ad Apostolos

Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3.

Caluinistæ qui hanc potentiam concedunt Caluino insaniunt.

ſtolos cum fores eſſent clauſæ oſtio penetrato. denique vt cum triumpho beatas iniret ſedes cœlo non perforato, tam non potuit præſtare Deus Caluino; *Infra inſequentibus articulis.* quàm condere non poteſt hominem, qui ſit animal rationis expers.

6. Sed nihil hoc admirandum: ſiquidem Caluinianus DEVS nõ abſolutam, ſed dependentem ordinariamque tantum habet potentiam; idque ſolum poteſt, quod re ipſa vult facere & facit: id autem facere non poteſt, quod non decreuit facere. *In Cat. breui ad art. 1.* hinc illud. *3 Inſtit. cap. 23. § 2.* *Neque commentum ingerimus abſolutæ potentiæ, quod ſicuti prophanum eſt; ita merito deteſtabile nobis eſſe debet.* Reſpexit ad hoc Beza *contra Heshuſ.* illud Gabrielis Angeli ad Chriſti Matrem oraculum *Luc. 1.* Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum: *nec credendum, nec Vniuerſaliter recipiendum* conſtanter propugnans. Idem poſt Caluinum & Bezam proteſtati ſunt Pariſijs in colloquio Spina & Sureus: *Feuardentius lib. 1. Theom.* Camelum ſiue funem nauticum per foramen acus tranſire poſſe pernegantes, ipſamque veritatem mentitam fuiſſe volentes, cum ait: *Matth. 19.* apud homines hoc eſt impoſſibile, apud Deum autem omnia ſunt poſſibilia.

Caluinus Deo detrahit potentiam abſolutam.

7. Quaſi verò illi ſit difficile panem in corpus; vinũ in ſanguinẽ Chriſti Domini cõmutare; cui facillimum fuit, mulierem viuentem

Transſubſtantiationis poſſibilitas.

 in

in salis statuam; *Gen. 19.* virgam Moysis in serpentem; *Exod. 7.* aquas in vinum *Ioan. 2.* conuertere; ipsumq; nihil in cœlum, terram, omniaque alia ex nihilo facta transfundere, aut quasi magis repugnet rationi, corpus vnū esse in pluribus locis; quàm naturam vnam esse in tribus personis, reapse distinctis à se inuicem, sed non à natura; quam essentiam vnam Dei sine sui multiplicatione esse totam in pluribus simul mundis si forent, & totam similiter in singulis eorū; quàm hypostasin vnam Verbi diuini in duabus esse naturis perfectis dissimillimisque, à quarum altera nihil sit re diuersum: quam animam hominis vnam, totam esse in toto corpore, & totam simul in pluribus, adeoque in omnibus partibus, tanquam pluribus in locis, & nihilominus vnam in se permanere, aut denique quasi à corporea mole abiungere nequeat, vel ipsius per locum actualem extensionem, vel alterius corporis, vt non sint simul duo, protrusionem; qui ab humana natura in Christo intimam humanitatis subsistentiam, ab vndis maris rubri *Exod. 14.* & Iordanis *Iosu. 3.* hinc atque inde murorum instar cōsistentibus, innatam ad ima defluendi propensionem à securi ferrea *4. Reg. 6.* & à B. Petri corpore super aquas hærente & gradiente *Matth. 14.* subsidentis grauitatis actionem; ab igne fornacis Babylonicę *Dan. 3.* puerorum iniectorum adustionem, *Luc. 4.* à Christi corpore visibili ante & post resurrectionem

Polytopiæ possibilitas.

Localis extensio separabilis est, à quantitate.

ctionem *Ioan. 20.* omnem coloris ad circumstantium oculos diffusionem subtraxit, sustulitq;. Qui hæc & id genus alia potuit, quid est cur à quãtitate effluentem occupationem loci cohibere auferreq; non possit? Iam CREATOREM COELI ET TERRAE, reliquum est vt facias corruptorem. Sic enim iubet Caluini oraculum: *voluntate DEI quæ rerum est necessitas,* cecidit Adamus, defecerunt Angeli. *Lib. 3. Inst. c. 22. §. 8. 4. 6. 7.*

Deus Caluino corruptor cœli & terræ.

8. Ex dictis nullo iam negotio hæc deducuntur. 1. Articulum Caluiniani symboli primum reuera hunc esse: CREDO IN DIABOLVM, CARNIFICEM, ORCIPOTENTEM, CORRVPTOREM COELI ET TERRAE. 2. Proinde longè alium esse DEVM Christianorum quàm Caluinianorum: quandoquidem nõ sicut Caluiniani, ita Christiani DEI potentia; sed patientia; nõ impulsu & operatione; sed indulgentia & permissione peccata fiunt, vt eleganter B. Augustinus. *in Ioan. tract. 53.* 3. Probabilius tamen videri intelligentiores Caluinisequas, prorsus esse atheos, & cum Godefrido à Valle Parisijs exusto anno Christi 1272. potius credere nullum, quàm vllum talem esse DEVM. 4. Non referre, si quidẽ nullus sit DEVS, quem DEI cultũ & religionem profitearis; Si iuratâ lingua mentem iniuratam geras; si cum Bucero ex Zvvingliano fias Lutheranus; ex Lutherano Semicatholicus; ex Semicatholico Sacramenta-

Articulus Caluinianus.

Tituli hi prorsus Diabolici.

mentarius; ex Sacramentario Iudæus obduratus. Si cum Adamo Neuſero Heidelbergenſi olim Paſtore, cum Alamanno, Blandrata, Statorio, Socino, Liſmanno alijſq; primis per Sarmatiam Caluiniani Euangelij Apoſtolis transfugias ad Turciſmum. cui nullus DEVS eſt, illi omnis religio perinde eſt: niſi quod Mahometiſmus eò ſit Caluiniſtis gratior; quo & fædarum carnis voluptatum maior eſt approbator, & doctrinæ Sacramentariorū conſonantior.

ARTICVLVS II. CATHOLICVS.

ET IN IESVM CHRISTVM FILIVM EIVS VNICVM DOMINVM NOSTRVM.

Caluiniſtæ nominis Ieſu honoré vetant.

9. IN IESVM. Quid filio futurum eſt, vbi Pater vſqueadeò eſt deturpatus? Caue honoris cauſſa ad nomen IESV caput aperias aut genu flectas, ſicut fieri conſuetum eſt ad eximiorum Principum mentionem. *Nam pluſquam ridiculi Caluin. in c. 2 ad Philip. ſunt Sorbonici Sophiſtæ, qui ex illo Pauli; In nomine IESV flectatur omne genu, &c. flectendum eſſe genu colligant, quoties nomen IESV pronunciatur.* Caue Ieſum

Chriſtus Caluino non eſt Saluator.

dictum eſſe putes, quod ipſe ſaluum facturus eſſet populum, prout præmonuit cœleſtis paranymphus *Matth. 1.* Nec ſaluauit nec perfectè ſaluare potuit mundum à peccatis. Ille enim agnus eſt; non qui tollit peccatum mundi, ſed tegit *Ioa. 1.* nō qui delet, abluit, mundat iniqui-

iniquitatem *Psalm. 50.* populi; ſed inumbrat, conuelat, occultat, ne eam videat iam quaſi cæcutiens DEVS Pater; nō qui conſolidat, ſanat, redintegrat *Ezech. 34.* quod per ſerpētem deſtructum eſt; ſed emplaſtro tātum obducit, ne viſum vlcus animę, vulnuſq; ſuppurās nauſeam moueat. *Hac peruerſitas* inquit loquens de peccato, *2. Inſt. c. 1 §. 8. nunquam in nobis ceſſat.* Et alibi. *Lib. 4. Inſt. c. 15. §. 10. Iam perſpicuum eſt quàm falſum ſit per baptiſmū ſolui nos & eximi ab originali peccato:* ab his non abludit in antidoto Tridentini Concilij ſeſs. 5. *Manet verè peccatum in nobis, neq; per baptiſmum extinguitur.* Sed ignoſcēdum IESV, Si peccatum Caluino nō ſuſtulerit, pro quo in ſolidum & ex aſſe iuſtum redemptionis pretium patri dependere non potuit. *Fateor enim, ait, 2. Inſt. c. 17. §. 1. ſi quis ſimpliciter & per ſe Chriſtum opponere velit iudicio DEI, non fore merito locum; quia non reperitur in* Chriſto *homine dignitas, quæ poſsit DEVM promereri,* ſiue quod idem eſt, cui ex iuſtitia, ratione paſſionis infinitè pretioſę, pater debeat remiſsionē delictorum.

Chriſtus peccata nō tollit à Caluiniſtis.

10. CHRISTVM. Chriſtus idem valet quod vnctus: puta in Regem, cuius regni nō erit finis; *Luc. 1.* in Sacerdotē in æternum, ſecundū ordinem Melchiſedech; *Pſ. 109.* in Prophetā, in quo omnes theſauri ſapientię & ſcientię DEI ſunt abſcōditi, *Col. 2.* & ſuper quē floris inſtar aſcendentē de Ieſſęa virga, requieuerit Spiritus Domini, Spiritus ſapientię, & intellectus, Spiritus cōſilij, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis

tatis

ratis *Esaiæ 11.* Nihil minus, quàm talis Christus est Caluinianus. Rex ille est, sed cuius regni erit finis *2. Instit. c. 14 §. 3. temporale enim imperium ei à Patre mandatum est, donec facie ad faciem conspicua sit diuina eius Maiestas.* Sacerdos ille est secũdum ordinem Melchisedech; sed qui panem & vinum nunquam, ne quidem in nouissima cœna, post peractam consecrationem siue benedictionem obtulit *4. Instit. cap. 18. §. 2. Colligunt* Romanenses, inquit, *panem & vinum fuisse præludium Missæ suæ; ac si inter Melchisedech & Christum similitudo esset in panis & vini oblatione, quod magis ieiunum ac friuolum est, quàm vt refutione egeat.* Propheta natus est; sed sine Sapientia, scientia, & diuinitatis, (magis coniunctæ humanitati Christi; quàm beatis in cœlo) visione. Palam est Caluino, *in cap. 2. Luc. 5. v. 40. & cap. 24. communem Christo ignorationem cum Angelis* tribui. quare etiam *ter & quater insanus ille in cap. 24. Matth. 36. foret, qui se grauatim ignorantiæ subijceret; quam ne ipse quidem DEI Filius nostri causa subire renuit,* maximè cũ ita ignorarit vt disceret ipse atq; erudiretur more hominum, *Nicol. Gallasius in lib. 2. Iren. cap. 49.*

Christus Caluino est rex sine regno.

Et Sacerdos sine sacrificio.

Item Propheta sine prophetia & sapientia.

11. Quid verò sub ferula Caluini didicit, quod ante nescierit? Permulta. *Nam quod quidam existimant, in cap. 9. Matth. v. 2. Christum diuinitus conscium fuisse baiulantium paralyticum fidei, quæ occultè intus latebat,* (Caluino) *coactum videtur. Nihilq; absurdi est, in c. 21. Matth. 7. 18. si dicamus secundum hominem speciem arboris fuisse illi incogni-*

cognitam; esto eam è folijs cognouisset, nō Salomon. vel Theophrastus tantum; sed etiam rusticulus aliquis è Iudæa. Ex nescientia hac interiore multiplices in verba Christi profluxere absurditates. vt sunt: responsio Christi ad Nathanaêlem in *1.ca.Ioan.v.48. quæ parum videtur apposita:* sermo Christi ad Nicodemum de regeneratione *qui longè petitus & intempestiuus* videtur *Ioan.3.* Similitudines diuersæ, quibus ad illustrādas res vtitur: *Illa enim similitudo cribrandi non omni ex parte quadrat in cap.22.Luc.* alia, qua vsus est, apud eundem Euangelistam *cap.16.Luc. dura est & longe petita.* quin etiam *paulò durior est Metaphora, dum salem nominat in ca.9. Marci. quicquid falsum est.* Nec, quam adhibet apud Matthæum, *in ca.22.Matth. videtur quadrare partitio; quia propriè loquendo, dum officio defungimur erga homines, obsequium hoc DEO impendimus.* Quantuscunque sit veritatis Magister vnigenitus Sapientissimus, cælestis patris. in Caluini schola Grammaticus est non bonus; Rhetor longè peior; sed omnium pessimus Dialecticus. probaturus namq; *in ca.9. Matth. v.5.* se peccata remittere, paralytici curati in corpore exemplo, Caluino *videtur parum solidè ratiocinari Christus.* Occursurus calumniæ quod in Principe Dæmoniorum eijceret Dæmonia, *videtur*, ait, *in c.12 Matth.v.25 parum solida esse refutatio.* Infert Christus *Matth.7.* omnia ergò quæcunq; vultis vt faciant vobis homines. *Superuacanea est, ait, illatio.* Deniq; hoc esto

Christus Caluino malus Dialecticus.

è tri-

è tripode Geneuensi oraculum: *Memoria tenendum est vulgo receptis prouerbijs, ita vsum esse Christum vt tantum essent probabiles coniecturæ, non autem solide probarent in c. 2. Matth. & Luc. 5.* Videntur vt admirentur turbæ (Caluinianæ) super doctrina eius; *ca. 7. Matth.* vt stupeant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius; *Luc. 4.* vt suspiciant verba duodennis in medio Doctorum? *Luc. 2.*

12. FILIVM EIVS VNICVM. Credo pro filio priuignum, aut reum quempiam expectas; quandoquidem Pater iam ante degenerauit in Vitricum & Carnificem. Certè Deus verè non est, qui Patri æqualis nō est. At caluino Pater κατ' ἐξοχὴν *& per excellentiam* præ filio *contra Gentilem in refut. prothesis 10. & Instit. lib. 1. c. 13. §. 23.* in scripturis Deus est. Pater primum; Filius secundum à Patre, obtinet imperij & honoris locum; Spiritus sanctus tertium. *Calu. in c. 26. Matth. v. 64.* Pater prima vitæ causa est, & primus gradus; Filius secunda, Spiritus sanctus tertia. Patris prima est potentia; Filij secunda; Spiritus sancti tertia. *Calu. in c. 6. Ioan. & Mar. 13.* Est Patris Vicarius *in c. 22. & 26. Matth.* Minister, *Calu. in c. 17. Ioan.* & Secretarius intimus *in c. 1. Ioan.* illo minor secundum diuinitatem. *Quanquam enim ab antiquis, ait in admon. ad Polon sentētia Christi: Pater maior me est, restricta fuit ad humanam eius naturam: Ego tamen non dubito ad totum complexum* (humanam simul & diuinā naturam) *extēdere.* Dicere Filium DEVM

Christus Caluino non est Deus.

VM de DEO, prout ſancta Synodus Nicæna, *eſt καταχρηστικῶς, in Syno. Lauſan. & durè, & periculosè, & impropriè loqui Danaus cōtra Geneb.* Quid ita? quia precariam tunc à Patre haberet Deitatem *contra Gent. perfidiam.* Haud aliter: ac ſi quia Pater dedit vitam Filio *Ioan. 5.* itemque perſonam, ideo vitam perſonamq; mendicatò obtineat filius; & nō verius ſit, per omnem generationem, naturam, eſſentiamque communicari genito.

Chriſtus quoad Deitatē minor eſt patre Caluino.

13. DOMINVM NOSTRVM. Vide & ride Dominum hunc Caluinianum, *3. Inſt. c. 24. §. 13. vocem dirigit ad ſuos ſeruos, ſed vt magis obſurdeſcant. lumen accendit; ſed vt reddantur cæciores. doctrinam profert; ſed quo magis obſtupeſcant. remedium adhibet; ſed ne ſanentur.* Et licet hos inter ſeruos nō ſint Caluiniani, vt qui ſoli ſint prędeſtinati, & ob id vocē eius audiant; omnem tamen honorem & grati animi ſignū negant. Non licet cum reuerentiæ ſignificatione ſanctum eius nomen *ſupra num. 9.* edicere, non ad eum preces ſuas, petitionesq; dirigere: ſiquidem qui ad ipſam carnem Chriſti, ſiue *Filio Dei hypoſtaticè vnitā* ſuam adorationem aut inuocationē dirigit, *is ex ipſius DEI ore maledictus eſt. Lam. Danaus in exam. Kemnitij.* Nec verò Magi, quando procidentes adorarunt eum, cuius viderāt ſtellam in Oriente, aut illi aurū, thus, myrrhā, vt Regiq;, Hominiq;, Deoq; dona tulerunt, ipſum vt verum Deum coluerunt: ſed tantū *vt magni cuiuſdam Regis Filio ſuum obtulerunt*

Chriſtum Caluinus ridiculum facit.

Chriſtus Caluino non eſt adoratus vt Deus.

obſe-

obsequium Calu.in Harm. Nec Centurio qui se indignum cẽsebat, cuius tectum subiret Christus, & cuius fides superauit aliorum fidem in Israel. *Calu.ibid.* nec cęcus ille, qui voce *Ioan.9.* professus se in Filium Dei credere, procidit & adorauit, eum adorando aliud significauit; *quàm quod genu demisso, vel alio quodam signo honorem, obsequium, & alia beneuolentia signa alteri exhibenda indicauit.*

14. Ex his nullo iterum labore hæc corollaria conficies. 1. Caluinisequatum fidei secundum articulum toto distare cælo ab eo, quem tradiderunt Apostoli, & si cogatur ad aperti sermonis vsum effici ter & amplius execrandũ. ET IN NON IESVM. A CHRISTVM PRIVIGNVM VNICVM DEGENEREM. 2. Caluinianis paulò religiosorem esse Diabolum, vt qui ad nomen IESV Christi ex obsessis corporibus *Marc.9.* facessat, filiumque Dei agnoscat, cum illi ne latum quidem vnguem, vel manu ad leuandum pileum sublata, vel poplite ad flectendum curuato se moueant. 3. Iure suo Caluinigenas Familianos in Anglia *in præf. lib. contra familiam amoris anno 1577. Lond. editi.* Frisia, Hollandia. Libertinos in Gallia, Flandria, Brabantia, VVestphalia. *Calu. contra Libertinos.* Seruetianos in Transyluania, Hungaria, Polonia negare Christum verum esse DEVM: sed tantum nudum hominem & philosophum datum humano generi *Simlerus in præf. lib. de æterno Filio Dei.* vt sit

Diabolus religiosior Caluinistis

Christo Deitatem detrahunt Caluinistæ

rectè viuendi exemplum, aut vt paulò maiora cum Melanthone canamus, *Phil. in Locis com. Hallæ Ann. 1539. fol. 8.* in Christo non totum, *sed aliquid esse diuinæ naturæ substantialiter.*

ARTICVLVS III. CATHOLICVS.

QVI CONCEPTVS EST DE SPIRITV SANCTO NATVS EX MARIA VIRGINE.

15. Generationem eius quis enarrabit? ait Isaias *Cap. 53.* Enarrant eam Caluinistæ, putantq; Prophetæ verba (quicquid etiam contradicant PATRES veteres) non de Christi generatione: sed regni eius diutina propagatione interpretanda *Caluin. in Esa. ca. 53.* Enarrant autem hac ratione, vt conceptus quidem Filius sit, sed tamen videre non possint, quomodo simul cum Filio conceptus & incarnatus non sit Pater, cui vna cum Filio est essentia. *Friccius initio libell. de Mediatore.* Deinde, vt solus intelligatur conceptus Filius, vt tamen de cælesti gloria, quam habuit ab initio *Ioan. 17.* nihil deperdiderit per carnis nostræ assumptionem, non satis capit Caluinus. *Præposterum,* inquit, *in Ioan. 17. Christi de reddenda claritate votum fore, si de sola humanitate intelligatur, non etiam de diuinitate.* Vnde & à Melanthone contra Stancarum, & alibi *in epist. ad Elect. Brandeb. 12. Januar. anno 1553. data* scribitur: *Filius Dei secundum diuinitatem gloriam sibi dari & restitui*

Conceptio Christi gloriam minuit Caluino.

erat ac postulat. Denique vt conceptus nil amiserit de gloria; informis tamen prius massa, & fœtus extitit, qui more aliorum infantum in Virginis vtero sensim, humanum coalesceret in corpusculum. *Quæ enim de momentanea fœtus conformatione disseruntur à Theologis*, admirabilem vim, potestatemq; Dei omnipotentis operantis in Virgine supra naturam & ex purissimo eius sanguine Adamo secundo, in momento integrum corpus formantis, pensiculantibus, ea Caluini Magistro *in ca. 2. Lucæ* Bucero *sunt commenta.* Nec verum est, quod ait ille *Ioan. 1.* Visum eum plenum gratiæ & veritatis; aut nō ad mensuram datum illi Spiritum. *Sed vna cum ætate creuerunt etiam in Christo animi dotes.* Caluinus *in c. 3. Luc. v. 40. gratuitisq;* Spiritus sancti donis auctus est. Quid? quod columbâ super Christum descendente. *Primum redditus sit certior suæ vocationis, & ob id noua Spiritus sancti vnctione imbutus. In c. 3. Matt. v. 61. quod vberiore tum Spiritus virtute sit instructus, vt fortior foret ad obeundas pugnas.*

Christus cum ætate profecit Caluino.

16. Iam verò Natiuitas sic habet, vt natus sit ex Maria non virgine. *Reiecto enim Papistarum figmento,* ait Molinæus *in Harm. 4. Euang. part. 3. quod filius eius vt radius solis per vitrum, sic per vterum illæsum transiuit; dicendum & credendum est, quod naturaliter ruptis obicibus*, id est claustro, & virginali integritate læsa, *& apertis locis exiuit ac natus est, & quod diuulsis distractisq; vteri partibus (Beza contra Brent.) expressus sit.* Proinde

Christus Bezæ ex non virgine natus.

non

non est quod miremur, si ex partu vti cæteræ mulieres in peccatis conceptæ, & concipientes, maledictioni Euæ obnoxiæ; ita & ipsa benedicta Mater Iesu infirmata sit, eaque causa eius in AEgyptum fugā Deus tantisper, dum è puerperio reualesceret, viresq; itineri necessarias repararet, distulerit. vt nihil diuinum cogitans philosophatur Caluinus *in Harm. ad c. 2. Matth.* Nec interest in fide Euangelica secundum Euangelium Bezæ *in præfat. noui Test.* (in quo nulla diu potest incorrupta virgo persistere) vt post Christum natum in Virginitate vixerit. illud scire precium est, *quod non malignè minus Dei potentiam, quàm Zacharias restrinxerit Calu. in cap. 1. Luc. v. 34. quod fines suos sæpe excesserit Calu. in c. 12. Matth. & Luc. quod intempestiuè festina fuerit; (Ibidem) quod superba Deo se prætulerit, in c. 2. Luc. in Harm. quod quo tempore morienti in Cruce Filio ex ardentissimo amoris affectu astitit, in primum, quintum, sextum, nonum Decalogi præceptum peccarit mortaliter (Buny. in exercitio Christian.)* Prô! quàm beata iudicio Caluinianorum vbera, quæ suxit Dei filius; quam gratia plena, & benedicta inter mulieres Mater Domini; quàm fecit genitrici suæ magna. qui potens est & sanctum nomen eius!

Beza in matrem Dei blasphemus.

17. Corollaria. I. genuinum articulum Caluinisequarū hunc esse: QVI CONCEPTVS SPOLIATVSQVE GLORIA EST DE SPIRITV SANCTO NATVS EX MARIA

Tertius articulus Caluinisticus.

 NON

·NON VIRGINE. 2. Turcas multò sanius sentire de hoc articulo; quàm Caluinistas. Eorum enim Azoar 31. est: Omnium mulierum optimæ Mariæ, ab omnibus intactæ, animam suam Deus insufflauit, & illam Filiumq; eius manifestum gentibus miraculum posuit. Et Azoar 17. Maria nunquam aliquid mali, siue malitiæ operata est. 3. Caluinistas fustuarium apud Turcas non euasuros. Testis enim Theuet *lib. 8. Cosm. cap. 2.* apud Mahumetanos hanc constitutionem esse, vt siue quis Christianus, siue Maurus, siue Arabs, siue Turca Christum (illud verbum DEI) quem virtute Spiritus sancti à Maria Virgine procreatum credunt; vel etiam ipsam Virginem, quam DEVS creaturis omnibus puriorem fecit & excellentiorem, blasphemauerit, præter multam pecuniariam, sexaginta fustuarij plagas sustineat. Nō sit vel fustium copia satis ampla, vel inopia è multis pecuniarum, si hæ pœnæ introducantur in Christianismum contra Caluinianos.

Turcæ melius de B. Maria quā [illegible] istæ sentiunt.

Fustuariū à Turcis merentur Caluin.

EPIMETRA PRO XENIO.

CAluinistæ ad Augustanam se referunt confessionem; vt huius prætextu facilius tolerentur in Imp. Rom. sed in eo solemne suum obtinent, quod est credulo vulgo facere fucū. Quod enim ad doctos attinet, norunt ij duas anno 1530. confessiones Carolo V. Augustæ oblatas, quorum altera Lutheranorum,

alte-

altera Zvvinglianorum propria: sed hāc non tantùm Catholici omnes; cum Imperatore & Electoribus *Acta Comit. Aug. Decr. Imp. Surius in comment. suo, an. 1530.* sed & Lutherani proscripserunt *Sleidanus in hist. sua eod. anno.* Melanthonis in epistola sua ad Martinum Lutherum, pridie D. Margaretæ, data Augustæ, anno dicto, verba sunt: *Zvvinglius misit huc confessionem impressum typis, diceres simpliciter mente captum. De peccato originali, de vsu Sacramentorum veteres errores renouat, de ceremonijs loquitur planè Heluetìcè id est Barbarissime, velle se omnes ceremonias esse abolitas, suam causam de cœna vehementer vrget. Episcopos omnes vult deletos.* adeò verò Melanthon & Brentius ab Augustanæ Confessionis mantelo Sacramentarios tū arcuerunt, vt professi sint, *in literis ad Landgr. Hassiæ*, se non posse Zvvinglianos, (à quibus quid dissident Caluiniani?) inter Fratres admittere. Neq; ignorauit idem Caluinus. *Cal. epistola ad Bez. p. 524. Et quid nobis, ait, Confessio Augustana obtruditur? quæ omnibus paulò prudentioribus semper displicuit Christianis.* Idem Beza, Vermilius, Marloratus Possiaci in colloquio responderunt, cum articulo 10. de præsentia Christi vrgerentur, *Zanchius in Miscell. damnat artic. confess. Aug 5. 9. 10. 11. 12. aliosq;* Lutherus *Lib.* Daß diese wort noch fest stehen/rc. *Tom. 2. VVittenberg.* cum eos intrà & extrà, suprà & infrà insessos & obsessos à Cacodæmonibus asseuerat satis suam sententiam aperit, quam Discipuli constabiliunt.

Confess. August. reijcit Calu.

Lutherus Sacramentarijs infestus.

biliunt. Nam Ienenses *lib. Manifesta ex scrip. demonstratio; &c. anno 1586.* faciunt Sacramentarios non Christianos, sed baptizatos Iudæos & Mahometistas. VVittenbergenses *lib. de test. Peuc. p. 79. Exploratissimum est*, aiunt, *Caluinum ex instinctu Sathanæ Scripturas de Sanctissima Trinitate, de Christo & Arrianorum, Iudæorumq; imposturis deprauasse, & ad impium Arrianismum & Mahometismum viam complanasse.* Riuander *lib. Lupus Excoriatus* pellem iisdem ouiculæ Christi detraxit. Eorundem mentiendi libidinem & duplicitatem *VVilhel. Holder. lib. Candor Caluinian.* tectas surreptiones in vrbes & nidos Lutheranorum idem *lib. Cuculus Caluinist.* altè volantem stupiditatem idem *lib. Asinus auis.* VVilhelmus Holderus detexit. Hæc (vt videre est in Bello Euangelij Quinti) Confessionistæ Augustani de Caluinistis.

Quo ducat Caluinismus.

FINIS.

